C. 151 4.

SPECIMEN CASTIGATIONVM IN IO. IAC. WETSTENII EDITIONEM N. TESTAMENTI

PROLVSIO ACADEMICA AD SACRARVM LITERARVM STVDIOSOS

PROPOSITA

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

A

IO. AVG. ERNESTI

PROFESSORE HVMANIOR. LITER.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

1754

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-671054-p0004-3

SACRARVM LITERARVM STVDIOSIS HVMANISSIMIS COMMILITONIBVS S. D.

IO. AVG. ERNESTI

Quicunque inde a magno Erasmo graecos N. T. libros ita ediderunt, vt vel latinae veteris versionis auctoritatem subinde repudiarent, quod ab illo ipso Erasmo, rarius fortasse quam debebat, factum est, vel a superiorum editionum lectione interdum, veterum librorum, vt videri volebant, auctoritate commoti, recederent; iis omnibus tanta inuidia, ac prope dicam infamia subeunda fuit, vt vix credibile sit, aliquem esse posse ita obfirmato ad omnes omnium sermones animo, qui simile quid tentare audeat, nec dubitet se tanto discrimini offerre. Illi ipsi, qui nihil nisi quod dudum ante editum esset, proderent, si modo non vnius se editionis auctoritati adstringerent, sed, quod in quaque optimum videretur, sequi se profiterentur, vt Bengelius ὁ μακαρίτης fecit, aut in variis tantum lectionibus vndique congerendis diiudican-

disque laborarent, magnam inuidiam effugere non potuerunt. Sed iis, qui ante Io. Iac. Wetstenium in eo genere elaborarunt, omnibus hoc contigit, vt paullatim deflagraret inuidia, et qua laude viui frui non potuissent, ea potirentur mortui. Nemo iam offenditur textu Erasmi aut Bezae, etiamsi ille subinde plus iusto tribuit et Codicibus suis, et versioni latinae, etiam contra graecos libros, quod fieri non debebat, hic autem e corruptissimis Codicibus suis, atque adeo de mera coniectura sua, id quod nullo modo ferri potest, quaedam, contra omnes libros veteres, in textum induxit. Millio nemo hodie facile audeat molestus esse ob collectas tot varias lectiones, posteaquam Pfaffius, V. Cel., mirandum esse pronunciauit, in tanta literarum luce quemquam doctum ea effutire posse, quae contra variarum lectionum colligendarum studium dicta et scripta sint, Bengelius autem, vir rarae nuper et sanctitatis et doctrinae Theologus, a Millio Commune Ecclesiae inaestimabili beneficio adfectum esse: App. Cr. p. 442. Hunc autem ipsum Bengelium, ante paucos annos reprehensionibus multorum vexatum, nunc a praeclaris Theologis video vehementer laudari. Tanta vis est temporis vel consuetudinis potius ad molliendam rerum quarumque offensionem, et quam insolentia et nouitas iis adfert inuidiam, eam detrahit obruitque audiendi vsurpandique assiduitas et consuetudo.

At vehementer vereor, vt idem vnquam contingat Wetstenio, qui nuper eosdem libros cum varietate lectionis edidit: adeo multis locis commisit, vt, si nihil aliud, certe opinionibus quibusdam suis, maximae Christianorum parti merito improbatis, velificatus esse, nobisque diuinitatis Christi argumenta, contra ius et fas, eripere voluisse videatur. De quo opere, mihi non alienum visum est, hoc tempore quaedam Vobiscum, Commilitones Humanissimi, disputare, vt, quale sit, quam longe remotum a perfectione, quam multae castigationis indigens, velut e specimine quodam iudicare possitis, atque ita lectionibus iis, quas in Epistolas Apostolicas per hunc annum,

Deo

Deo adiuuante, habiturus sum, proludere. Et quoniam, quid in Parte operis ea, quae Epistolas illas continet, peccatum sit, demonstrandi copia dabitur in istis ipsis Lectionibus; Actorum Apostolicorum librum delegi, in quem specimina castigationum proponerem.

Atque vt etiam aliquid de instituto vniuerso dicam, mihi videtur Vir doctissimus, melius, et ad vtilitatem communem accommodatius facturus fuisse, si a nouae editionis consilio se prorsus abstrahi siuisset per eos, qui ei tot impedimenta tamdiu obiecere. Sane constat inter eos, qui hanc nobilissimam tractandorum sacrorum librorum partem attigere, Milliano operi multa ad perfectionem deesse, multa, quae castigatione indigeant, inesse, idque e Prolegomenis clarum est, Millium agnouisse ipsum. Multi Codices non ab ipso collati, multi ab hominibus parum idoneis, parumque accurate, lectiones versionum Orientalium fere e versionibus latinis decerptae, multa lectionum nomine tunc reposita, alia contra, commemoratione digniora, praetermissa, loca Patrum Eccl. nimis vage, aut perperam indicata, in iisque ipsis non optimi vbique libri consulti. Optabile vtique erat, vt existerent viri periti talium rerum, qui hoc laboris, vtilis magis quam grati, susciperent, vt ista paullatim vel supplerent, vel corrigerent, si forte tandem aliquando aliquid perfecti posset effici: sed non item optabile, vt quicunque aliquot Codices accurate excusserint, nouas lectiones repererint, aut aliud quid ex istis generibus, quae posuimus, praestiterint, statim nouae editionis consilium capiant. Non sunt ea iam tempora, quibus sumtus, in literarum instrumentis comparandis faciendi, augeri nimis debeant, cum vix paruis et mediocribus sufficiamus, praesertim hoc in genere, tam parum populari, et ad rem familiarem minus, vt nunc est, fructuoso. Multos Codices accuratissime ipse, interdum bis cum editis Wetstenius contulit. Agnosco gratus et vehementer laudo. Versiones ipsas inspexit, Patrum loca diligentius indicauit. Si

ita est, quod tamen non omnino concedo, rem bonam et laudabilem fecit. In notis porro de verbis et formis loquendi quibusdam, etiam de rebus quaedam non vulgaria et egregia e graecis inprimis Iudaicisque libris attulit. Fateor, et fruar libens. At quorsum haec in istam farraginem rerum vulgarium et inutilium coniiciuntur, vt aegre agnoscantur? Quare non ista Codd. collatorum excerpta, istae Millianae editionis correctiones seperatim potius eduntur, quas paruus vtique libellus et valde parabilis capiat? Quid? si iam alius extiterit, qui ceteros Codd. quosdam accuratius excerpat, qui Vaticanum, Guelferbytanum Euangeliarium, qui Bergerianum Codicem, qui Askeanum, qui alios nondum collatos: qui, quod reliquum est vagarum citationum in locis Patrum, quod peccatum est in lectionibus versionum, (et reliqua sunt profecto non nimis pauca) corrigat; quod ignoratum ac praetermissum est de coniecturis virorum doctorum super locis obscuris, aut postea accesserit, addat? An iterum duobus talibus voluminibus beabimur? Immo vero seperatim sua quisque proferat, donec nihil librorum reliquum sit, quod non excussum penitus, nihil quod non correctum diligentissime emendatumque sit, et tum demum aliquis hoc munere beet eruditos homines atque adeo Ecclesiam Christianam, vt in vnum conferat omnia, efficiatque, qualem cogitare animo et optare nunc licet, non nisi post multos annos sperare, editionem perfectam omnibus numeris et absolutam. Sed haec de vniuerso operis Wetsteniani instituto sufficiant: ad id quod ostendi me facturum, veniamus.

In *Variis Lectionibus* duo spectari solent; primum in colligendo diligentia et fides, in iudicando deinde, et deligendo dexteritas, atque etiam quaedam cum omnibus aliorum libris, in quibus nulla nobis nisi vtendi fruendi potestas esse potest, tum maxime diuinis debita modestia. In vtraque autem parte non vbique satisfacit Wetstenius. Id si ei accidit tantum incuria quadam eiusmodi, a qua imbecillitati humanae non satis

cautum

cautum est natura, praesertim in hoc genere critico, quod tam multis paruis rebus constat, quae facile diligentiam vel patientissimi hominis fatigant, vel oculatissimi effugiunt, estque saepenumero tam lubricum, vt vix vitare lapsum queas: veniam dabimus lubentes petemusque vicissim. Sed hoc ex iis iudicabitur, quae in vtroque genere a nobis mox proferentur.

Iam primum diligentia in congerendo Variarum Lectionum apparatu duabus in rebus cernitur: quarum prima est, si Codices graecos, quorum copia data sit, et versiones antiquas scriptaque Patrum, inprimis graecorum, perite et accurate cum vulgato conferas: altera, si, cum ipse conferendi potestatem non habeas, et alii iam contulerint, eorum labore recte et cum iudicio vtare, non temere omittens, quae illi obseruarint, nec nimis credulus, vbi examinandi facultas sit, suppetentibus libris, vnde illi sumserint, velut versionum et Patrum. Et in graecis quidem Codd. cum exemplis editis comparandis diligentiam fidemque vt in dubium vocem, longe absum: immo vero facile ei concesserim, longe diligentius eum esse in eo negotio versatum, quam superiores: in quo tamen magis temporum quam hominis bonum agnosco. Nam superioribus seculis, id quod in praefatione ad Tacitum disputaui, nimis se negligentes in Codd. priscis vtendis viri docti vulgo praebuere: cum vel alienis oculis vterentur, vel in locis modo iis inspicerent Codices, vbi in vulgato haererent. Qua re factum est, vt multa praeterirent, vt posteris molestam necessitatem renouandae comparationis relinquerent. Melius hodie et aliorum vsibus et posteritatis commoditati consulitur, hac quasi lege inducta, vt in Codicibus excutiendis nihil, quamuis tenue, quamuis vitiosum, negligatur: qua re omnis vltra conferendi necessitas tollitur. Huic legi necessario parendum erat Wetstenio, si vllo modo probari doctis vellet: nec adeo mirandum, si multa e multis dudum cognitis Codd. protulit, quae antea latuerant omnes, quae etiam in copiosissimis illis

Millii

Millii Excerptis frustra quaeras. In ceteris generibus autem non eandem vbique diligentiam adhibuisse, vt aliis in libris, ita et in Actis aliquot locis obseruaui, quorum quaedam speciminis caussa adponam. C. I, 18 notat, quosdam legere πρησθεὶς vel πρησὴς, teste I. C. Wolfio. Parum accurate ab vtroque factum: a Wolfio, quod lectores istis *quibusdam* contentos esse iussit; a Wetstenio, quod isto teste in tali opere acquieuit. Non indagare oportuit, quinam essent isti quidam, quaque re inducti ita statuerent? Poterant rem docere Theophylactus, Oecumenius, toties ipsi commemorati, et hinc Grabius in Spicil. Patr. et haeret I, II et III Sec. P. II p. 231, qui credit, auctores opinionis a Papia traditae de interitu Iudae legisse in isto loco πρησθεὶς pro πρηνής: quod de ipso Papia videtur Casaubono, non probante Iac. Gronouio de Morte Iud. p. 177. Wolfius autem sua hausit vel e Gerhardi Harmonia, qui similia sine nomine tradit, vel e Gronouii verbis l. c. *vt Gerhardus etiam testetur, quosdam suspicari, legendum esse πρησὴς vel πρησθείς.* Sed in eodem versu non notauit, dignum autem erat notatu, Laurentium Sifanum ad Theophylactum in Acta in margine notare, antiquissimum exemplum, quo vsus sit, pro ἐλάκησε habuisse ἐλάκισε; quod esset a λακίζω, verbo bono, ducto a λακὶς, nec tamen vulgato praeferendum, quod etiam idem Aristoph. tuetur Nub. 409: vbi διαλακήσασα (διαλακίσασα metrum ibi respuit) Scholia interpretantur διαῤῥαγεῖσα· λακὶς γὰρ τὸ σχίσμα. Atqui in Proleg. ad Act. p. 454 diserte tradit, illud Theophylacti exemplum, quod per Sifanum Coloniae curatum est, cum editione recepta accurate se contulisse. C. II, 9 commemorat coniecturas Er. Schmidii aliorumque recentiorum nomen Ιεδαίαν tentantium. Quid erat, quare negligeret Tertulliani et Augustini lectionem *Armeniam*, quam non vt de coniectura, sed vt e libris haustam ponunt, dudum Millio et Bengelio notatam? quare non, Ιεδαίαν abesse in exemplaribus Theophylacti? C. VII, 9 ad λιβερτίνων notat, Bezae, I. Cle-

I. Clerico et Iac. Gothofredo placere λιβυςίνων. Bene. Poterat addere magnum plagiarium, *) Fr. Spanhemium, Misc. III, 2, 17 Tom. II Opp. p. 320. Sed multo potius debebat commemorare, versione Armenica hanc lectionem confirmari: quod poterat discere e Whistoniorum praef. ad Mosis Chorenensis Historiam Armen. p. XVIII, qui in eius MS. sic clare distincteque legi testantur. Nam quod a Wolfio etiam Oecumenius eius rationis auctor citatur, id falsum vel inspectio Oecumenii arguit. C. XV, 10 ad verba: νῦν οὖν τί πειράζετε θεὸν ἐπιθεῖναι ζυγὸν etc. tradit, Bezae et Bengelio (in Gnom.) placere, vocem θεὸν omitti. Quanto grauior futura erat Hieronymi neutiquam tacenda auctoritas, qui hoc ipsum verbum in Comm. in Ep. ad Galat. V, 1 omittit; ita verba citans: *quid tentatis*, inquit, *imponere iugum etc.*, quod notatum Bengelio, supina negligentia praetermissum est. Quamquam ne hoc quidem testimonio probabilitas accedit coniecturae, a linguae rationibus alienae. C. XIX, 27 in verbis ἐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν etc. primum e Cod. Barocciano notat ἡμῶν pro ἡμῖν. quam scripturam peperit v. 25 praecedens ἡμῶν, sicut ibi lectio quorundam librorum ἡμῖν e versu 27: quam prorsus repudiat ratio recta loquendi et articulus ἡ additus substantiuo,

*) Ne miretur quis hoc ἐπίθετον claro nomini additum, aut ne nimis isti homini fidant studiosi, vt veteranos etiam facere video, saepissime in plagio manifesto deprehendi Spanhemium. Simonius Bibl. Crit. T. I p. 326 dixit, hunc Spanhemium in Elencho Controuersiarum in Capite de Graecis et Orientalibus omnia compilasse sine iudicio ex auctoribus, quos de hoc argumento legerat. Hoc iudicium iniquissimum iudicat Buddeus Isag. Hist. Theol. p. 1145 a: nimis fauens huic generi hominum. At ego permulta in eius operibus loca reperi, vbi legis Fabiae de plagio manifeste reus tenetur, nominatim in diss. de Euangelistis, Apostolis, vbi Fr. Burmannum compilauit, cum ne semel quidem nominet: vt taceam emendationes, quas Iac. Gothofredo et aliis sublegit, nullo nominato, vt etiam in hac, de qua sermo est, lectione fecit l. c., vbi ad verbum prope exscribit Iac. Gothofredum, nec dignatur nominare. Sed sedulo faciunt alii, vt illum pari fraude vlciscantur.

tiuo vel constructionis conformatio cum sequente: deinde addit, eam lectionem probari Grotio. Quomodo? an Grotius excerpta Codicis Barocc. habuit? Nequaquam: sed ita legisse putat Syrum et Arabem, quod notasse conueniebat. C. XXI, 3 ad ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, cum omnia vitia librorum scriptorum et edd. ponat, etiam τῆς Κύπρου ex ed. Colinaei, praetermittit lectionem ἀναφανέντος τῆς Κύπρου, quamquam vitiosam, tamen repertam in libris, vt testatur idem ille, quem supra laudaui Sisanus, atque Beza, vnde notarat etiam Boisius in Collat. ad h. l. C. XXIII, 23 allata lectione δεξιοβόλους, pro δεξιολάβους, e Cod. Alex. addit: *Codex teste Erasmo.* Enimvero Erasmi verba ita ambigua sunt, vt ex iis male, certe parum tuto, colligas aliquid de ista lectione. Et haec fere mihi recens allatum librum perlustranti occurrerunt; sed plura forte reperissem, si accuratissime excutiendi omnia otium fuisset. Sed in hoc genere haud dubie faciles habiturus est multos, qui minui potius variantium lectionum numerum, quam augeri velint: nec minus, vt opinor, in altero, de quo nunc monebimus.

Lectionibus notatis e Codd. Verss. et PP. addidit coniecturas Virorum doctorum. Hoc quidem non modo ferendum est, sed nonnullis etiam gratum fore putamus: suppeditant enim materiam disputandi et refellendi iis, qui, quod ipsi bene dicant, non admodum habent, vt fit. Probo etiam iudicium viri docti p. 858, cum *sibi* ex omni earum, quas attulerit, numero, *vix vnam atque alteram se vtcunque probasse*, ostendit. Sed diligentiam in eo negotio tripliciter desidero. Primum quod loca, vnde sumsit, non cum opus esset, indicavit, eaque re plerisque examinandi facultatem ademit: praesertim cum, secundo, rationes coniecturarum nullas addiderit, *) quod

*) Animaduersione digna est coniectura Bentleii, nescio vbi proposita, ad XV, 20. 29, vbi vult pro πορνέας, in quo se tantopere torquent interpretes, legi χοιρέας, *porcina carne.* Ego notaui locum notabilem Iuliani, e quo

quod nec necessarium erat, si fontes indicasset, vt in Mangaeo fecit, cuius coniecturas ita ponit, vt ad Philonem prolatas dicat, in quo homine tamen minus necessarium erat, quam in Bentleio, Hemsterhusio τῷ πάνυ et aliis, quorum multa scripta extant. Illud autem haud dubie parum diligentis collectoris est, quod nec eiusdem hominis ex eodem libro omnes coniecturas attulit, vt Mangaei ad Philonem, c. XVII, 4 pro προσεκληρώθησαν tentantis, προσεκολλήθησαν, temere, (v. Wessel. V. C. Ep. ad Venemam p. 12) vt omnia alia: nihil enim in coniecturis vanius isto homine et audacius, vt est nunc Britannorum ingenium, qui scilicet graece docti inprimis, et prae ceteris Europaeis videri volunt, cum plerumque tirocinia linguae non teneant, vt propediem insigni ad stuporem exemplo docebo, et hinc coniecturarum frequentia ad Criticae facultatis laudem contendunt: quam prauitatem vtinam non imitari inciperent nostrates quidam! Idem ei accidit in Marklando, et ipso quidem ad coniecturas proniori, sed, vt ille ait, aliter catuli olent, aliter sues. Nam cum ex eius Coniecturis in Lysiam ed. Taylori V. C. attulerit quasdam ad N. T. pertinentes, alias omisit, velut quod XVII, 11 pro εὐγενέστεροι legi mauult εὐμενέστεροι: ibid. v. 4 ὡς ἐπὶ θεσσαλίαν pro ἐπὶ τὴν θάλασσαν, quae coniectura saltem aliquam speciem habet e Scholio Cod. Bezae Cantabr. ad v. sq. quod non neglexit Wetstenius afferre: παρῆλθεν δὲ τὴν θεσσαλίαν, ἐκωλύθη γὰρ εἰς αὐτὸς κηρύξαι τὸν λόγον. Atque etiam reperi, vbi falso alicui tribueretur coniectura, velut ad Act. XXVII, 14 Bengelius dicitur probare coniecturam εὐρακύλων pro εὐροκλύδων: qui ab ea est alienissimus.

Millium iure reprehendit Wetstenius T. I p. 175, quod loca Patrum parum accurate indicauerit: quod est hodie certum

 indi-

quo colorem aliquem accipere potest ea coniectura. Is est in Epist. 63, vbi scribit Christianos ita tenaces esse institutorum suorum, vt libenter vltimam famem et inopiam sustineant, ὑέων ὅπως μὴ γεύσαιντο μήτε πνικτῶ: quibus verbis ad h. l. respexisse videri possit.

indicium auctorum non inspectorum, et hominis temere alius indicio et testimonio freti. Ergo hoc vitium prorsus vitauit Wetstenius? Non profecto. Et loca quidem male citantis exempla non occurrerunt, nec libuit indagare: at vagae citationes crebrae sunt, cum aut solum auctoris nomen ponitur, sine libri indicio, quod semper est vitiosum tum, cum non vel e Commentariis ad librum quemque laudantur lectiones, vel ex eo, cuius vnum tantum librum habemus, aut liber simpliciter ponitur, non locus libri, per paginarum numeros et editionis nomen, expressus; vnde magna molestia creatur, quaerere locum et excutere volenti. Sed de hoc posteriori vitio iam questum vidimus, haec ipsa dum scripsimus, Baumgartenium, exquisitae copiosaeque doctrinae Theologum, in Vindiciis vocis θεὸς 1 Tim. III, 16, superiori mense editis, nosque ipsi mox exemplo quodam docebimus. Et haec de prima parte, h. e. de diligentia in congerenda Lectionum varietate hactenus. Sequitur grauior pars, cum de vsu istius varietatis quaeritur, de iudicio et delectu, in quo multo maior castigandi materia occurrit.

Sed cum in hoc genere permulta sunt, quae merito reprehendantur; tamen quia ad vniuersum opus pertinent, non hic a nobis commemorabuntur: et sunt forte iam dicta ab aliis. Satis habebimus exemplis aliquot demonstrasse, in iudicando nec satis acutum vbique esse, quod ferendum tamen, nec satis integrum, sed nimis tribuentem opinionibus suis, et hinc peruertere lectionem vulgatam conantem. In quo genere insigne maxime exemplum est, quod Act. XX, 28 pro ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, haud dubitanter corrigit et in textum recipi vult κυρίου, conatu, etiam si successerit, vanissimo, vt demonstrabimus, et a Criticae artis legibus alieno. Equidem miratus saepe sum inconstantiam viri doctissimi, qui, cum videretur sic instituisse, vt lectiones cum suis auctoribus nude poneret, rarissime, interposito iudicio suo, veluti liberum

peritis

peritis arbitrium relicturus, admonens quid Grotius, quid Millius, quid Bengelius, quid alii probarent, non quid ipse, cum saepe non modo materia disputandi h. e. ponderandi lectiones varias, esset, sed etiam res et ratio disputationem talem postularet, tamen in omnibus propemodum locis, quibus diuinitas I. C. nititur vel in lectionis varietate disputat ea, quibus nobis eripiat, quantum in ipso est, vt Act. XX, 28. 1 Tim. III, 16 etc., vel in notis spargit aliquid, quo vim iis suam adimat, vt affectatio quaedam et cupiditas facile animaduertatur. Sed nullo loco prope dicam magis istam affectationem eminere, quam in eo, quem vindicare nobis est in animo. Ea disputatio erit eiusmodi, vt primum ostendamus, si vel maxime Codicibus graecis, versionibus, testimoniisque patrum conficeretur, veram lectionem esse ἐκκλησίαν κυρίᾳ, tamen nihil lucrari diuinitatis Christi aduersarios, defensores nullam iacturam facere, atque ea ipsa re nobis viam patefaciamus ad alteram partem, qua vocem θεὸς Lucae librorum veterum scriptorumque auctoritatibus asseramus et argumenta Wetstenii conuellamus.

Concedamus igitur paullulum, fingamusque ipsam Lucae manum esse, vt cum magnis Criticis loquar, ἐκκλησίαν Κυρίᾳ. Quid fiet? Nempe *nomen Dei*, ait, p. 596 med., *semper de Patre*, Κυρίᾳ, *de Christo* dicitur. Falsum, vt mox videbimus. Sed quid amplius? Perit scilicet argumentum pro diuinitate Christi. Κύριος enim, (hoc sic existimari clarum est) minus est verbo θεῷ, atque honoris tantum causa dicitur. O! serum studiorum! Quanquam video etiam nostros, orthodoxos illos, fere sic existimare de κυρίᾳ verbo. Calouius quidem in h. l. vindicando contra Grotium, cui lectio Κυρίᾳ vel Χριστῷ non displicebat, nihil aliud contendit, nisi θεῷ verbum esse genuinum, et hinc diuinitatem Christi asserit. Ego vero Κυρίᾳ vocem non modo non minorem, sed parem, ac, prope dicam, maiorem vim habere contendo. Id sic intelligite, Humanissimi Commilitones, et simul illud, quod saepe dico in Lectionibus, bonum

interpretem N. T. debere vbique videre, verbum quodque vtrum bene graeco an hebraico sensu dicatur, quaerere subinde, quod verbum hebraicum scriptoris diuini obuersatum fuerit animo, idque quam vim habeat, non e Lexico hebraico triobolari, nec e versionibus latinis pueriliter ad verbum factis, quas nimis amplectitur interpretum ignauum et indoctum vulgus, sed longe aliis, quos demonstrare soleo, e fontibus haurire: innumerabiles ineptas controuersias, stultas interpretationes natas esse in Ecclesia graeca et latina, atque etiamnum vulgo fieri, ex eo, quod quae verba ex hebraica consuetudine capienda erant, e bene graeca, aut latina, accipiebantur, vt hodie vulgus ordinis Theologici e vernacula interpretatur. Vox Κυρίῳ scriptoribus hebraizantibus dupliciter dicitur, primum honoris habendi caussa, vt Graecis δεσπότης, respondetque hebraico אדוני, quod et de hominibus dicitur, in compellationibus in primis: atque sic licet accipere, cum dicitur Κύριος Ἰησοῦς etc.; deinde pro nomine veri dei, exprimens vocem יהוה, ducta consuetudine e Graeca V. T. versione, in qua prope perpetuo κύριος interpretatur proprium illud veri Dei nomen, θεὸς rarius quidem, at aliquot tamen locis. Vnde effici videtis primum illud, κυρίῳ nomen si dicatur de Christo simpliciter, vt de Patre, sine adiunctione nominis proprii Ἰησοῦ vel Χριστῷ, indicare veram, et aeternam immutabilemque diuinitatem, atque ex iis adeo locis, si non grauius ac certius, at aeque certum et efficax argumentum duci, quam ex iis, in quibus θεὸς vocatur, in quo verbo satis constat ab omni aeuo calumniatos esse aduersarios diuinitatis Christi, cum in voce יהוה nulla talis calumnia locum habere possit. Hinc adeo factum est, primum vt vox κύριος eo modo dicta a scriptoribus sacris cum verbo θεὸς promiscue diceretur, eadem vi ac potestate, deinde, vt a librariis in Codd. a Patribus graecis et latinis, in afferendis testimoniis librorum sacrorum, permutarentur pro synonymis. Harum rerum documenta ecce Vobis e solis Lucae Actis sat multa et idonea,

sed

sed per lancem saturam et ex ordine capitum. VI, 6. XIII, 7. 44. XVIII, 11 ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, est idem qui et λόγος Κυρίου, VIII, 25. XIV, 94: in Epistolis Pauli interdum et λόγος Χριστοῦ, *doctrina Christiana*. Qui VIII, 22 θεὸς dicitur, v. 23 κύριος vocatur, vbi notabile est pro θεὸς legi κύριος in Mss. antiquioribus iisdem, quibus XX, 28, et expressum esse non modo in versione Syr. posteriori, vt illic, sed etiam Coptica, multisque Patrum locis, et tamen nihil tentari, saluam in textu relinqui vocem θεὸς a Wetstenio. IX, 13 φόβος τοῦ Κυρίου est haud dubie יראת יהוה, commodeque adfert Wetstenius in nota locum e Chald. Paraphr. Gen. V, 22: *ambulauit Enochus in timore Dei:* sed ibi sermo est de Christo. XIII, 47 οὕτως γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ κύριος: locus subiectus e Propheta clarum facit, exprimi nomen Iouae. XV, 19 τὰ ἔθνη ἐπιστρέφοντα ἐπὶ τὸν θεὸν, sunt *accedentes ad Iesum*, et pro eadem forma alias est ἐπὶ τὸν κύριον. XVI, 15 πιστὴν τῷ κυρίῳ est τῷ θεῷ, vt habet Cod. Cantabrig. et versio Aethiop. Sed iste κύριος, iste θεὸς est Iesus: *si me veram Christianam putatis.* XVI, 34 πεπιστευκὼς τῷ θεῷ, nil differt ab eo qui dicitur πιστεύειν τῷ Κυρίῳ XVIII, 8, vel vt alibi εἰς Κύριον Ιη. Χρ. estque is θεὸς Christus. Nihil autem clarius est locis XVIII, 24. 26. In illo est ὁδὸς τοῦ Κυρίου de religione Christiana, mox τὰ περὶ τοῦ Κυρίου, in hoc ἡ τοῦ θεοῦ ὁδός: quae synonymice dicta qui neget, nihil in interpretando sit necesse est. Quid XIX, 8 ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, non est regnum Christi? vt et alibi vocatur, pro quo tres Codd. exhibent κυρίου. XXI, 19 Paullus narrat quae fecerit ὁ θεὸς ἐν τοῖς ἔθνεσι etc. Christiani autem iis auditis ἐδόξαζον τὸν κύριον. Θεὸν et Κύριον eundem esse, quis non videt? Quis est autem ille Θεὸς, quis κύριος? Nempe Iesus Christus ex Marc. XVI extr. Cum igitur Κύριος non minorem vim habeat voce θεὸς, atque adeo ex hebraismo prope maiorem, non est mirum, si, vt ante dixi, et a librariis, et ab interpretibus, et a Patribus Eccl. inter se perpetuo permutantur. In istis exemplis quidem, quae attulimus, prope omnibus,

omnibus, in variis lectionibus alterum reperitur; θεὸς, vbi in textu κύριος est, et vice versa. Atque adeo XXI, 19 tanta est multitudo librorum, scriptorum et editorum, versionum, Patrum, pro κύριον exhibentium θεὸν, vt etiam Millius et Bengelius hoc praeferendum putent. Nec tamen secutus est eorum iudicium Wetstenius. Adde locis istis VII, 33, vbi pro Κύριος reperitur θεὸς: X, 33, vbi pro τῷ θεῷ reperitur et κυρίῳ, vti XV, 18, probante ibi et Bengelio, XXVII, 23 et contra XII, 11 illud pro κύριος, itemque XVII, 27, vbi in verbis ζητεῖν τὸν Κύριον, Codd. duodecim θεὸν exprimunt, versiones Lat. Syrae, Copt. Aeth. Chrysostomus et Oecumenius: probant Grotius, Millius et Bengelius, me non adstipulante, nec Wetstenio; denique XXVIII, 15 pro θεῷ in Mss. quatuor est Χριστῷ; quae est glossa interpretantium quod esset in textu. Haec consideranti fortasse veniat in mentem illud Ciceronis ad Memmium: *nec cur ille tantopere contendat video, nec cur tu repugnes:* adeo nec ille, si Κύριος recipitur, quaestum facit, nec nos amittimis quicquam, sed salua manet diuinitas Iesu Christi, etiamsi Κύριος probetur. Enimuero in hac Critica ratione non tam quaeritur, an altera lectio eundem vel meliorem sensum habeat, sed an maiori auctoritate nitatur: et rursus, quo quis animo Κύριος praelatum velit, refert. Videamus igitur, quibus argumentis nobis hanc necessitatem impositum eat Wetstenius, vt in posterum ἐκκλησίαν κυρίου legamus, non θεοῦ.

Primum autem argumentum ducitur a testimoniis veterum librorum, h. e. Mss. Verss. et PP. MSS. Codices pro verbo κυρίου decem laudat. In his antiquissimos Alexandrinum, Ephremi, Cantabr. et Laudianum, quos tamen ipse ad latinam versionem correctos, et interpolatos iudicat: alterum autem ait in quatuor ad summum Codd. repertum, quorum nullus antiquus, aut antiquo proximus sit. Enimuero etiamsi vox ea sola tantum in quator libris reperta est, tamen est κυρίου θεοῦ, κυρίου καὶ θεοῦ, θεοῦ καὶ κυρίου in duobus et triginta, in his Co-

dice

dice perantiquo Card. Paſſionei. Iſti non numerabuntur? Certe tam pro θεῦ quam κυρίῳ ſtant. Alterutrum a librariis eſſe conuenit. Quaeritur, vtrum? Wetſtenio placet θεῦ: ſcilicet, quia magis aduerſari putauit opinioni cuidam ſuae. *) At nobis κυρίῳ: non quia aliud, aut quia minus bona lectio; ſed quia res et ratio ſuadet. Beza, Millius, et Bengelius verbum κυρίῳ pro gloſſa habent, adſcripta, vt eſſet explicatio θεῦ aduerſus Anthropomorphitas. Non arbitror neceſſarium eſſe, ob ante dicta, de ſolenni permutatione librariorum, vbi nulla gloſſae neceſſitas. Wetſtenius θεὸν mauult eſſe gloſſam: quod multo minus concedi poteſt. Quis enim haeſiſſet in κυρίῳ? Nec vllam rationem et cauſam talis gloſſae ponendae affert. Sed ſi eſt θεῦ potius a librariis, quam κυρίῳ, dicam ex eo fonte fluxiſſe, quo dixi. Iſtum Κύριον eſſe Deum ſciebant et credebant. Itaque, dum negligentius deſcribunt, θεῦ pro κυρίῳ ponunt. Sed non eſt a tali manu vox θεῦ, verum a Luca. Eſt lex Critica raro fallens, e duabus lectionibus eſſe praeferendam, quae durior videatur, ſi cetera paria ſint. At lectio κυρίῳ nil duri habebat praeſertim apud eos, qui hebraica neſcirent; contra mentio ſanguinis poſt nomen dei durior cuidam videri poterat praeſertim quo tempore aduerſus Theopaſchitas diſputabatur. Quod ſi quamuis liberales eſſe aduerſus eum velimus, cui hoc non ſatisfaciat, tamen illud ſaltem ſequetur, parem eſſe vtriusque auctoritatem, nec ius fuiſſe Wetſtenio alteram κυρίῳ praeferendi alteri θεῦ, et in textum inferendi.

Iam

*) Ei quantum obſequatur, etiam hoc exemplo obiter notabimus. Ad Rom. IX, 5 p. 65 affert locum Euſ. H. E. VIII, 11 ὅλην χριστιανῶν πολίχνην ὑφάψαντες, κατέφλεξαν αὐτὰς, τὸν ἐπὶ πάντα θεὸν χριστὸν ἐπιβοωμένους. Addit manifeſtum eſſe, vocem χριστὸν eſſe ab interpolatore. Hoc eſt plane abſolutum decretum. Cur non potius θεὸν additum dicit? ſi tamen alterum additum. Nam Niceph. VII, 10, qui Euſebium compilauit, habet χριστὸν ἐπεβόων. Et narratio Nicephori arguit Chriſti nomen abeſſe non poſſe.

Iam, quod ad versiones attinet veteres, pro κυρίῳ affertur margo Syrae posterioris, Copticus Interpres et Armenus. Nos vero opponimus margini textum, Coptico et Armeno latinum, haud paullo grauioris auctoritatis, et Aethiopem apud Millium. Nam de Copticae et Armenicae versionis origine et auctoritate tam incerta sunt omnia, dissidentibus inter se doctissimis viris, vt eae cum latina comparari nullo modo possint. E patribus autem non numerem nisi Chrysostomum, cuius Commentarius ad h. l. laudatur pro κυρίῳ: propter eam quam dixi frequentem confusionem κυρίῳ et θεῷ in citationibus. Sed hic ipse Chrysostomus si habuit Codicem, in quo esset Κυρίῳ, ille Codex tamen vnus numerandus est: et potest in Chrysostomo quoque illa confusio a librariis extitisse. Suspicatus sum aliquando lectionem κυρίῳ esse e Codd. Origenis, qui hanc lectionem alteri, cum Codd. discreparent, potuit praeferre. In Versionibus Armenica et Coptica animaduerterunt Viri docti dudum Origenianas emendationes: v. Wetstenium in Proleg. T. I p. 110. 111. Chrysostomus autem totus pendet ex Origene. Didymus Alex., e quo et ipso haec lectio laudatur, Origeni ad errores vsque fuit deditus: Eusebium autem in Bibliotheca Caesareensi Origenianis Codd. vsum, quis nescit, qui ad Es. 35, 9 similiter hunc locum protulit. Sed hoc vtcunque quis acceperit, haud in magno posuerim discrimine.

Illud agam potius, vt tandem excutiam loca illa P P., quibus magnopere confidit Wetstenius, quod ex iis intelligi posse putet, αἷμα θεῷ in libris diuinis non fuisse. Primus est *Origenis* c. Celsum VII p. 342, in quo negat aut Prophetas V. T. praedixisse, aut Christianorum quemque dicere mortuam esse veritatem, viam, panem coelestem, vitam, aut θεὸν λόγον. Ei loco simillima sunt e ceteris, quae proferuntur, *Nestorii* apud Cyrillum et in Actis Eph. item *Theodoreti* in Dial. III, in quibus negatur dici posse θάνατον θεῷ λόγῳ et similia. Haec videlicet putat dici non potuisse, si in loco controuerso θεῷ legissent. Sed Vir doctus non assecutus est mentem veram illorum testimo-

teſtimoniorum, quam reſpondentes ad locum Athanaſii, vna declarabimus ex eodem Athanaſio. *Athanaſii* locum, qui ei haud dubie capitalis viſus eſt, affert hunc: ἐδαμῶ δὲ αἷμα θεῦ καθ' ἡμᾶς παραδεδώκασι γραφαί. Αρειανῶν τὰ τοιαῦτα τολμήματα. Eum citat e c. *Apollinar.* Primum duo feruntur Athanaſii contra Apollinarium libelli, alter *de ſalutari aduentu Chriſti*, alter *de Incarnatione Domini*. Vbi igitur quaeram? Eſt autem in illo, qui eſt *de Salut. A. D.* T. I p. 645 ed. Pariſ. 1627, et ab Montefalconio vocatur liber II adu. Apoll., in cuius editione locus eſt T. II p. 951. Hunc locum, non dicam mala fide protuliſſe, quod pronum erat et probabile dicere: ſed non ex ipſo libro ſumſiſſe, non ipſum ibi inſpexiſſe, ſed ex alio recentiori, qui neſcio an bona fide laudauerat, exſcripſiſſe, dico. Enimuero erat tanti inſpicere locum diligenter, et editiones optimas conſulere: in quibus ita locus exhibetur, vt appareat, fruſtra huc conferri. Editio ergo Pariſienſis ſic exhibet: ἐδαμῶ αἷμα τῦ θεῦ κ. ἡ. π. αἱ γραφαὶ, ἢ θεὸν διὰ σαρκὸς παθόντα καὶ ἀναςάντα. Αρειανῶν τ. τ. τ. Videtis hic media verba omiſſa, quae ſi examinaſſet intelligenter, h. e. ſi ſatis verſatus in ſcriptis ad controverſias Arianorum, Apollinariſtarum et ſimilium acceſſiſſet, vel ſolos iſtos Athanaſii c. Apoll. libros perlegiſſet attente, ſtatim vitium deprehendiſſet. Nam θεὸν διὰ σαρκὸς (aut ἐν σαρκὶ) παθόντα nemo non orthodoxorum dixit. Negabant θεὸν λόγον paſſum aut mortuum ſimpliciter dici, ſed cum adiunctione naturae humanae, cuius πάθη pro ſuis ducat, propter ἕνωσιν ὑποςατικήν. Atque id didiciſſet, ſi Monteſalconianae editionis exemplum inſpexiſſet, quae locum ſic exhibet, vt pro καθ' ἡμᾶς exhibeat e Cod. Segueriano δίχα σαρκὸς, poſt relinquat διὰ σαρκός. Non probo hic κρίσιν Montefalconii. Verborum καθ' ἡμᾶς plane nullam rationem ducit, eaque lectio ipſum plane latuiſſe videtur. Ait enim editos habere αἷμα τῦ θεῦ διὰ σαρκὸς, pro quo δίχα σ. reponit. Feram hoc. Sed mox relinquit διὰ σαρκὸς, etſi Nannius verterat *citra carnem*, eoque correctionem

nem indicauerat. Igitur aut vtroque loco legendum διχα σαρκὸς, aut saltem posteriori loco. Id clarum este sequentibus, et aliis multis Athanasii locis: sic enim pergit: αἱ δὲ ἅγιαι γραφαὶ ἐν σαρκὶ θεῦ καὶ σαρκὸς θεῦ ἀνθρώπου γενομένου, αἵματος, καὶ πάθους, καὶ ἀνάστασιν κηρύττουσι σώματος θεῦ etc. Et similiter aliis locis loquitur. His autem verbis totum Wetstenii argumentum convellitur. Nam diserte Athanasius (si quidem auctor est: nam dubitari a nonnullis video) testatur, αἷμα θεῦ in sacris libris occurrere, sed sanguinem, quem Deus in suo corpore habuerit. Ex hac igitur ratione et cetera loca de Deo Verbo non mortuo etc. sunt capienda, quae sic intellecta nihil prosunt Wetstenio. *Deus sanguine suo redemit Ecclesiam*, non quem diuinitas habebat: est enim incorporea: sed, qui in corpore erat, quod suum fecerat coniunctione, ἐνσαρκώσει.

Sequitur locus *Chrysostomi* ex hom. I in Acta, in quo laudat Apostolorum συγκατάβασιν, quod in sermonibus ad Iudaeos Gentilesque raram diuinitatis Christi mentionem fecerint, sed multam humanitatis, cum Athenis etiam hominem tantum vocarit Paulus. Hunc locum cum legerem in iis, quae prodessent caussae Wetstenii, vehementer eius acumen desideraui: nec vllo modo potui intelligere, quomodo sibi persuadere potuerit, ei loco vllam vim inesse. Primum si ὀλίγα περὶ θεότητος Christi dixerunt: an etiam nihil? Annon hic locus noster in istis ὀλίγοις esse potest. Deinde, quod maximum est, an hic Paullus cum Iudaeis loquitur, aut Gentilibus? Immo cum Christianis, cum Presbyteris Ecclesiae Ephesinae; in quorum numero nemo fuit, quin plane cognita haberet religionis Christianae dogmata omnia, qui tali συγκαταβάσει non indigerent. De loco *Nestorii* ex parte iam dictum. Sed illa etiam verba consideranda sunt: ὅταν ἡ θεία γραφὴ μέλλῃ λέγειν ἢ γέννησιν τοῦ Χριστοῦ, τὴν ἐκ τῆς μακαρίας παρθένου, ἢ θάνατον, ἐδαμῶς φάνεται τιθεῖσα θεὸς, ἀλλ' ἢ Χριστὸς, ἢ υἱὸς, ἢ Κύριος: quibus similia cetera. In his primum in verbo κύριος apparet insscitia hebra-

hebraismi eius, de quo ante dixi: deinde error manifestus, oblatus a cupiditate sententiae defendendae, aut memoriae imbecillitate. Quod hic θεὸς vocatur, mox in altero eius loco est θεὸς λόγος. Non succurrebat homini illud ὁ λόγος σαρξ ἐγένετο: nec θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, quod tum in libris fuisse, nemo, nisi valde cupidus, dubitabit, post egregiam Baumgartenii V. Cel. demonstrationem. Sed in hoc genere omni tempore lapsi sunt Theologi, atque etiamnum labuntur: siue infirmitate memoriae, siue, quod aliis libris, vt Controuersiarum, Concionum popularium, Schediasmatibus, Compendiisque legendis, plus temporis multi tribuunt, quam libris sacris. Itaque nulli argumento minus tribuo, quam ei, quod a silentio Theologorum veterum, veluti in nobili loco Ioanneo, ducitur. Atque etiamsi facilis esse velim aduersus Nestorium, et quemcunque alium e veteribus, qui talia scripsit, qualia sunt etiam in ceteris locis a Wetstenio prolatis, quae separatim excutere necesse non putamus, tamen omnia accipienda contendam ex illa Athanasiana formula, de qua supra dictum est. Denique etiam feruor disputationis aduersus Fullonem, Apollinarium et Theopaschitas fecit, vt talia interdum proferrent, quae ad veritatem diligentius exacta probari non possunt: neque ea vllo modo hoc nobis dant iuris, vt propterea nomen θεὸ in loco Lucae suspectum habere, nedum tollere, recte possimus.

Diu nos tenuit loci vnius castigatio. itaque pauca alia adiungere licebit, et ea quoque e genere Critico. Nam Commentarium nunc non attingemus. C. XVII, 25 in textum recipi vult non paucorum sane librorum, cum scriptorum, tum editorum: δίδὲς πᾶσι ζωὴν, καὶ πνοὴν κατὰ πάντα. Non dicam, et alteram καὶ τὰ πάντα non minus multorum librorum auctoritate niti, in his antiquissimorum, quos ad XX, 28 vulgatae deesse vrgebat: sed illam lectionem sensum commodum non habere. Ego quidem, quid sit [illegible] ζωὴν πᾶσι καὶ πνοὴν κατὰ πάντα, non possum assequi. Enimuero in Crisi legitima

non modo librorum, ſed etiam ſenſus ratio haberi debet: et vt nulla lectio, quamuis bonum ſenſum habens, probari poteſt ſine libris bonis, ſic nec libri boni in diſſenſu valere ſine bono ſenſu poſſunt. Ac video prouocari ad ό Ioſ. XXII, 2. Sed ibi longe alia res eſt. Verba ſunt: ὑπηκούσατε τῆς φωνῆς μου κατὰ πάντα, ὅσα ἐνετείλατο ὑμῖν. Sic Vat. et Alex. Codd. Ed. Ald. habet καὶ τὰ πάντα. Sed haec lectio repudiatur merito, quia nullus commodus ſenſus exiſtit, niſi κατὰ legatur, vt hic niſi καὶ τὰ πάντα.

Neque felicius res Viro proceſſit verſu ſequente, vbi in textu vult exprimi ὁρίσας προστεταγμένους καιρὸς, non προτεταγμένους, confiſus non modo libris, ſed etiam linguae rationibus. Προτάσσω, inquit, *eſt primo loco, in fronte pono: quod huic loco non conuenit.* Non comparabo inter ſe libros veteres, qui pro vtraque lectione ſtant, nec editos, quorum fides a veteribus pendet, per ſe nullam vim habet. Nec de verſionibus dicam, quae vtrique lectioni fauebunt, ſi demonſtrauero, falſum eſſe, quod de verbi προτάσσω ſenſu dixit Wetſtenius, ſumtum e Lexicis. Senſus et contextus requirunt, *tempus certum ac definitum*, ante quod, aut poſt quod quid euenire non poſſit. Id dici graece προστεταγμένον καιρὸν, credam, cum exemplis demonſtrabitur, quae copioſus in rebus non obſcuris Commentarius nulla affert. Aliud eſſet, ſi ſermo foret de tempore homini alicui praefinito, quo quid faceret. Nempe praepoſitio πρὸ obſuit Viro docto, vt aliis in multis aliis verbis. Nihil enim eſt fallacius praepoſitionibus quibusdam in verbis compoſitis, vt ſuperiori ſemeſtri in praeceptis interpretandi me docuiſſe ſciunt, qui me audierunt: praeſertim cum Lexica vulgaria omnia ab ea parte ſint vitioſiſſima. Wetſtenio pariter fraudi fuit ἀνὰ in verbo ἀναπείθειν ad XVIII, 13, vt aliis in ἀναςαυροῦν, quorum illud ſaepe pro ſimplici, hoc ſemper ponitur. Προτεταγμένος καιρὸς. [illegible]ταγμένος, quod Cod. Coislinianus a prima manu habet. 2 Macc. VIII, 36 ſunt προτεταγμένοι νόμοι, in

in omnibus, quod sciam, libris: nam in ed. L. Bosii frustra e Cod. Alex. laudatur προσεταγμ. Symmachus autem Ps. LIX, 9 ממה, vertit προτάσσων.

Neque satisfacit mihi C. XXIV, 19, vbi vult in textu esse, ὃς δεῖ παρεῖναι ἐπὶ σοῦ, καὶ κατηγορεῖν, εἴ τι ἔχοιεν πρός με: non ἔδει: pro quo tamen et ipso multi libri, versiones veteres prope omnes stant. In quo errat haud dubie cum Bengelio, qui subinde libros sequitur e lege sua, nihil pensi habens linguae rationem atque naturam. Etenim, qui habet aures satis adsuetas graecae linguae, facile sentiat, si δεῖ verum sit, sequi debere ἔχωσιν. Itaque cum omnes libri constanter exhibeant ἔχοιεν, in eoque nulla dubitatio moueatur, ἔδει verum sit necesse est. Sed in tam paruis rebus facile aliquid negligitur, nisi valde attentus sis, a quibus tamen interdum res magnae pendent.

Haec speciminis causa proponere Vobis volui, non, vt reprehendendo et accusando inuidiam Viro doctissimo post fata facerem, aut gloriolam mihi quaererem, a quo et natura et mores mei abhorrent, sed vt intelligeretis, quam non facile sit de Opere Wetsteniano bene iudicare, aut eo recte vti. Multarum literarum, multae lectionis, diuturnaeque et obseruationis et exercitationis Criticae hoc negotium est. Quo magis mirum est, eos quam acerrime de hoc libro, deque toto illo genere scribendi iudicare, qui ea studia, vnde bene de talibus libris iudicandi facultas petenda erat, neglexere per omnem aetatem, aut tantum leuiter attigerunt. Illud etiam hoc exemplo admoniti intelligetis, quam necessarium sit ei, qui aliquando Theologi et sacrarum literarum interpretis nomen implere velit, in tempore cogitare de praesidiis comparandis, quibus ad eam facultatem peruenire possit; sine qua nemo interpretis talis laudem tueatur. Nam vt nemo inter librorum humanorum, graecorum latinorumque, interpretes locum obtinere potest, qui non sit ab arte Critica bene instructus, vt, quid in librorum scriptorum editorumque exemplis rectum vitiosumque sit, legitime iudicare possit:

sic

sic nec sacrorum librorum idoneus interpres esse vllo modo sine illo iudicio potest. Quo magis confido, hanc meam disputatiunculam Vos incitaturam, vt studium Vestrum ad omne genus literarum cognoscendum percipiendumque adiungatis, quod ad ea praesidia comparanda vim aliquam possit habere. Ea praesidia quae sint, vel a libris vel a disciplinis literarum, satis arbitror a me esse demonstratum in Lectionibus superioris semestris, cum traditis Noui Testamenti recte interpretandi praeceptis, non e vulgaribus hermeneuticis libellis, sed a longo vsu ductis, omnem apparatum librorum disciplinarumque exponerem, quo instructum esse bonum interpretem oporteret, et cuiusque generis verum vsum certis et perspicuis praeceptis demonstrarem. Sed in omni genere doctrinae minimum est in praeceptis, maximum, et prope dicam omnia, in vsu et exercitatione, quae saepe sine praeceptis plurimum, praecepta sine illa nunquam valuerunt, statui facere, quod ab initio pollicitus sum, vt Vos iam velut in rem praesentem deducam, et, vt ante praecipiendo, sic nunc agendo doceam in graecis Noui Testamenti libris interpretandis accurate, vtiliterque versari, h. e. ita, vt et Crisin legitimam modeste exercere, et sensum verum per graecarum et hebraicarum omniumque humaniorum literarum auxilia solerter indagare, et sic veritatis coelestis vel explicandae vel defendendae rationem reperire discatis. Ei rei quoniam accommodatissimas ante vsu cognoui *Epistolas Apostolicas*, eas potissimum delegi, in quibus interpretandis huius anni operam consumerem. In quo non puto mihi opus esse, vt Vos multis verbis ad audiendum alliciam: cum superiori semestri, primum ad ea quae ante dixi, praecepta, deinde vero ad Lectiones in Historiam Passionis Dominicae tanta frequentia confluxeritis, vt facile viderim, studium recte intelligendarum sacrarum literarum vel maxime in hac Academia vigere. Dicta his Lectionibus est hora XI, ad quas si solita frequentia conueneritis, non tam mea, quam Vestra, bonarum literarum, Ecclesiaeque nomine impense laetabor. Scripsi Kal. Iuniis A. C. CIↃIↃCCLIIII

Ch 2218, 8°

vd 18

ULB Halle 3
004 222 466

TA → OL f
nur 1+ 2 Stück verbunden

M

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-671054-p0029-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-671054-p0030-7

SPECIMEN CASTIGATIONVM IN IO. IAC. WETSTENII EDITIONEM N. TESTAMENTI

PROLVSIO ACADEMICA AD SACRARVM LITERARVM STVDIOSOS

PROPOSITA

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

A

IO. AVG. ERNESTI

PROFESSORE HVMANIOR. LITER.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA

1754